

5

EXERCITATIO ACADEMICA,
DE
CONCORDIA
PHILOSOPHIAE
CUM THEOLOGIA,



Q V A M,
ANNUENTE DIVINO NUMINE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO ATQ₃ EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,
REGNI PRUSSIAE ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HAEREDE, &c. &c. &c.

AMPLISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHICAE CONSENSU,
publico Eruditorum examini submittant:

P R A E S E S

M. SAMUEL MASECOVIUS,

Pro-Rect. Scholae Lœbn. & SS. Minist. Candidatus,

ET RESPONDENS,

CHRISTIANUS KYHR,

Regiom. Prussus.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO, H. S.

An. MDCCV. die Maji.

REGIOMONTI, EX OFFICINA,

Privilegiò SAC. REG. MAJ. confirmatâ, GEORGIANA.

Philos.

A.

202,6

Philos. Var. Misc. Fasc. I = 27.

SAC. REG. MAJ. IN PRUSSIA
SUPREMIS IN REGIMINE PRUSSICO CONSILIARIIS,
VIRIS

*Per-Illustribus, Per-Magnificis, Generosissimis ac
Excellentissimis Dominis,*

DN. OTTONI WILHELMO à Berbandt/

Curiae Provincialis Magistro & Prussici Ordinis Equiti,
Hereditario Domino in Liesken, Nauten, Grefckemen &c. &c.

**DN. CHRISTOPHORO ALEXANDRO
à Rauchten/**

Supremo Burggrabio ac Tribunalis Praesidi,
Prussici Ordinis Equiti,

Hereditario Domino in Eiserwagen, Kirchneuen, Nadrau &c. &c.

DN. GEORGIO FRIDERICO à Freyhen/

Cancellario ac Feudorum Directori,
Prussici Ordinis Equiti,

Hereditario Domino in Westlinen, Pobren, Wesselsbaesen &c. &c.

DN. CHRISTOPHORO Comiti à Ballenrodt/

Supremo Mareschallo, & Prussici Ordinis Equiti,

*Hereditario Domino in Pachollen, Irgelack, Pogirnen,
Preckelwitz, Wilkinen, Altstadt &c. &c.*

Dominis Patronis & Promotoribus suis maximis,

In ipso adhuc Paschali gaudio,

Cum ardentissimo summae & perennis prosperitatis
voto à fonte omnis boni. Jesu crucifixo quidem, sed
etiam gloriosè resuscitato,

*leves hasce pagellas humillimè offert
subjectissimus cliens*

M. SAMUEL MASECOVIUS, Praeses.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

I. N. 3.
§. I.



UM artis & ingenii sit inter valde discrepantia convenientiam ostendere, uti convenientium discrepantiam indagasse laudis existit: ideò Petrus Daniel Huetius egregiam planè putandus est sumpsisse operam in adstruenda rationis & fidei concordia, quam tantam esse deprehendit, ut ratio præcedat fidem, concomitetur & sequatur eandem vid. Lib. ejus 1. de Rationis & Fidei concordia c. 3. §. 10. Equidem Philosophia atque Theologia longè minus, quàm ratio & fides ab invicem sunt determinata: eo tamen nihilo secius operæ pretium fuerit, & non indigna Philosopho ac Theologo speculatio, si quis simili modò concordiam Philosophiæ & Theologiæ demonstratum eat. Nos hîc, ut Philosophi, in commendationem Philosophiæ, quâ vix major dari potest, concordiam ejusdem cum Theologia, breviter proposituri sumus, ea, quæ Theologiam attinent, hîc præsupponentes, vel, ut mutuatiua, bona cum Theologorum gratia, ad scopum nostrum accommodantes.

§. II. Et sane primò quidem intuitu talem sibi non-nemo Philosophiæ cum Theologia persuadeat concordiam, qualis inter ignem atque aquam, tenebras atque lucem esse deprehenditur. Tantum enim ratio à revelatione, quantum terra à cælo, occidens ab oriente à sese distare videntur; cum tamen ex hac Theologia, ex illa Philosophia sua deducat singula atque universa. Sine ratione nihil admittit Philosophia: Theologia *αἰχμαλωτίζει πᾶν νόημα*, captivam ducit omnem rationem I. Cor. X. 5. *Φρόνημα τῆς σαρκὸς ἐχθερὰν εἰς Θεὸν* sapientiam carnis inimicitiam in Deum nuncupat Rom. VIII. 7. Quosnam colla fidei jugo subdidisse scribit Aposto-

A lus?

lus? *Non multi sapientes, ait, secundum carnem, sed τὰ μω-
ρὰ ἔ κόσμος, quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ἵνα τὰς σο-
φίαις κατὰ κράτος ut confundat sapientes I. Cor. I. 26. Et Do-
minus ipse glorificat Patrem suum, quod cœlestem sapienti-
am abscondidisset sapientibus & prudentibus, atque ὑψηλοῖς par-
vulis eam revelasset Matth. XI. 25. Unde illud? num à
concordia Philosophiæ cum Theologia? Audias, quæso,
assertorum Philosophicorum, Theologicorumque consonan-
tiam. Philosophia pernegat, unum esse tria, & contra;
Theologia Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate
defendit. Philosophiæ pronunciatum est: Ex nihilo nihil
fit; Theologiæ contra: Ex nihilo facta sunt omnia, Gen. I.
In Philosophia verum est: virgo non parit; in Theologia
non item. Philosophiæ est assertum: Finitum non est ca-
pax infiniti; Theologia in Christi humana natura, infinitam
agnoscit hypostasin, & attributa infinita. In Philosophia à
privatione non datur regressus ad habitum: in Theologia
post omnimodam corruptionem, omnium mortuorum re-
stitutio in integrum certò expectatur: Secundum Aristote-
lem mundus est æternus, nec cœpit nec desinet; secundum
Scripturam mundus & cœpit & desinet, inque nihilum est
redigendus. Quid ergò de Philosophiæ cum Theologia tibi
promittas concordiam? Quin pomum εἰδὼ Philosophiam
rectè dixeris in Theologia. Quosnam enim Antagonistas
plerumque habuere Apostoli, eorumque Successores? non
sanè extremam hominum fecem, non lixas atque calones,
sed acutissimos quosque Philosophos, homines in celebritate
versatissimos, & omnium expositos oculis, viros magnæ Sy-
nagogæ, suâ sapientiâ graves. Tales surgebant συζητῆρες
altercantes cum Stephano Act. VI. 9: tales cum Paulo συνέ-
βαλλον, atque in arenam descendebant Act. XVII. 18. Et
quis alius præterquam Philosophus de summis nostris, primo
atque*

3
atque ultimo, nobis oggannit Doctoribus: *Moses & Christus multa dicunt, nihil probant?* Unde, sodes, illa tot errorum atque hæresium hydra Lernæa, nisi ex Pythagoræ, Platonis, Zenonis, aliorumve Philosophorum paludibus? *Omnes hæretici vel ex supercilio Samosatani fastu, vel ex Arii Dialectica, vel ex Aëtij ὀλιγομαθεία prodire deprehenduntur,* Martinus noster Chemnitius scribit part. I. Loc. comm. L. 2. de Persona Christi. Quid multis? graviter monet Apostolus: *βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἕσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας,* *videte ne quis vos decipiat per Philosophiam* Coll. II, 8. En tibi Concordiam Philosophiæ cum Theologia.

§. III. Verum hic omninò, quod vulgo fertur, valet dictærium: *Multa videntur, quæ non sunt.* Nimirum fieri assolet, ut, quos è longinquo acerrimè inter se conflagere deputes, eosdem amicè atque familiariter cum invicem ludere cernas, si illos proprius accesseris. Pari modò Philosophia atque Theologia, eminus quasi spectata, omnino arma contra ferre videntur: at verò si rem coràm intuearis, jucundam utriusque perspicias concordiam. Illud ipsum de Philosophia jam jam sumus evicturi, solummodo in antecessum nonnihil de terminis, in præsentis negotio occurrentibus, statuque controversiæ pauca præmonentes. Per Philosophiam complexum scientiarum, disciplinarumque, ex lumine naturæ haustarum, intelligimus, quales sunt Dialectica, Analytica, Rhetorica, Politica, Physica, Metaphysica, palmaria illa Philosophiæ species, aliæque. Theologia nobis est habitus, ex lumine revelationis acquisitus, quo quispiam promptus existit ad mysteria fidei, resque, æternam spectantes salutem, etiam alteri per doctrinam communicanda, & ab adversariorum corruptelis vindicanda, vel, ut Meisnerus in sobria sua Philosophia loqui amat, *Theologia* (puta, Scholastica) *existit accurata & perfecta* (perfectionem viatoris intelligo)

4
*mysteriorum divinorum cognitio, conjuncta cum excellenti divi-
μη τὰς ἀνυλέγοντας ἐλέγχει ἢ ἰπισομίζειν. Jam cardo rei
in hoc vertitur, quod dicta Philosophia, verè talis, & ex lu-
mine naturæ hausta, intra suos sese continens limites, Theologia non
contradicat, sed ipsi potius cum hac pax sit atq; concordia, esse
possit & debeat, veluti hoc omne vice versâ de Theologia dici
potest. Diximus autem de Philosophia verè tali & ex lumine
naturæ haustâ, i. e. ex rectæ rationis principiis legitimè deducta.
Secus enim si Philosophia sese habeat, corrupta est
Philosophia, & nihilo magis dici debet Philosophia, quam
virgo corrupta virgo salutari, & tenebræ luminaria appellari
possunt. Talem corruptam Sophiam illegitimos etiam in
Theologia eniti partûs: hujuscemodi, non lumen, sed cœ-
citatem mentis Cimmerias etiam in Theologiam invehere
tenebras, quid mirum? Deinde ut vitia artificum ipsi arti im-
putanda non sunt: ita nihil minus Philosophantium lapsûs
ipsi Philosophiæ non fuerint adscribendi. Etenim perspicua-
cissimum quemque Philosophum in uno atque altero lippien-
tes habere oculos humanum est, quia, August. teste, *in
nullo aliter sapere, quam res habet, Angelica est perfectio* L. 2.
contra Danat. c. 5. sed apprimè Clem. Alex. L. I. Strom.
*Philosophia non est dicenda Stoica, nec Platonica vel Epicuræa
aut Aristotelica, sed quæcumq; ab his sectis rectè dicta sunt (hoc
totum selectum) dicendum est Philosophia.* Porro insinuavi-
mus, Philosophiam, *intra suos sese continentem limites.* Quod
si namque Philosophus etiam verè talis suos egrediatur car-
ceres & proprium transfiliat objectum, immiscendo sese iis,
quæ longè transcendunt rationem, tum facit contra Philo-
sophiam, quæ prohibet *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος* sive transi-
tum ex uno scientiæ genere in aliud committere; imò tum
sine alis aërem petere, manu cœlum comprehendere, silulâ
oceanum capere satagit, tumque illud Tertull. de Præscript.
obti-*

obtinet: *Quid Athenis & Hierosolymis? quid Academia & Ecclesia? quid Hereticis & Christianis? nostra institutio de porticu Salomonis est.* Et Chrysoft. Hom. V. super I. Cor. *Ex Philosophia res divinas intelligere velle, est candens ferrum non forcipe sed digitis contrectare* H. I.

§. IV. His ita præmissis, jam nos accingimus ad sententiam nostram de Philosophiæ cum Theologia concordia ritè statuminandum. In primordio dicendum, quod hujusmodi Philosophia à Deo suam accersat originem, ut ipsa Theologia. Quemadmodum enim Theologiæ principium, ex quo omnia sua deducit, est revelatio; ita principium Philosophiæ est ratio, utrumque à Deo, ut patet; ratio per implantationem, revelatio per inspirationem. Jam causa causæ est etiam causa causati, & cujus generis sunt principia ejus & principiata esse solent. Accedit, quod Deus cum causis secundis hic variè concurrat, per singularem *εὐφροσύνην*, occasionem, successum, quale quid Aristoteles de virtute heroica docet, quam etiam propterea divinam appellat 7. Ethic. c. I. Quodsi autem à Deo talis Philosophia, quò pacto cum Theologia non apprimè conspiret atque consentiat? DEO namque, Enti simplicissimè uni, ipsi Concordiæ, & Auctori omnis concordia, discordantia atque cum invicem pugnantia tribuenda non sunt; verùm uti Musicus varios quidem edit sonos, harmonicos tamen omnes, atque dulcissimum inter se facientes concentum: ita hoc multò potiùs de Deo, omnium bonorum Magistro, præsumendum esse, oppidò liquet.

§. V. Philosophia pari modò in suo genere est vera, quo Theologia in suo. Sicuti in Theologia per revelationem: ita in Philosophia per rationem vera loquitur prima veritas & actus tantum verus. Primæ autem veritatis, & actus tantum veri effata non possunt non esse verissima.

Principium Philosophiæ, recta ratio, verum est; vera igitur & Philosophia erit, quæ fluit ex recta ratione, quia ex vero non nisi verum sequitur. Quodsi igitur Philosophia etiam existit vera, Theologiæ opponi non debet, sed falsa veris sunt apponenda; verum autem vero consonat. Hinc magnus noster Gerhardus, aliquid, in Philosophia verum, in Theologia esse falsum, rectissimè negat, dicendo: *Nibil quod naturate opponendum supernaturali, natura enim non opponitur suo Creatori* T. I. Loc. Theol. §. 173. p. m. 160.

§. VI. In aprico quasi posita, & firmiori adhuc talo nostra nobis videbitur stare concordia, si evictum dederimus, Philosophiam Theologiæ nullibi verè contradicere, uti nec Theologia Philosophiæ. Hic, quid vera sit oppositio atque contradictio, quæve ipsius requisita, utique præsciri debet. Oppositio est Philosopho: *affirmatio & negatio ejusdem de eodem* L. de Interp. c. 6. ejusdem scilicet prædicati de eodem subjecto, utrobique nomine eodem & eadem significatione (1.) respectu habitû ad idem v. g. non est oppositio: Christus est Pater Esa. VII. & Christus non est Pater, sed Filius, quia illud respectu creaturarum, hoc, ratione habitâ ad primam in Deitate Personam, venit intelligendum. (2.) secundum idem, i. e. secundum eandem partem proprietatem, naturam &c. Igitur hæ propositiones: Christus est ante Abrahamum: Christus est post Abrahamum, utpote in tempore à Maria virgine natus, non sunt sibi oppositæ, cum prius de divina, posterius autem de humana intelligendum sit natura. (3.) eodem modô & tempore &c. sic dictum Christi Joh. III. & doctrina Philosophorum de vento non sunt sibi opposita. Illud namque loquitur de determinata ventorum eorumque causæ cognitione, ex quo terræ foramine, quoque specu præcisè & determinatè ventus oriatur, & in quod vicissim antrum tendat atque desinat: Philosophia verò talem determinatam

natam

natam ventorum cognitionem non suppeditat. Nunc examinemus illa, quæ §. 2. attulimus, atque videamus, num omnia veræ oppositionis requisita ibi sint præsto; ad minimum unum vel alterum deesse, utique ad oculum deprehendemus, rem ad rationem revocaturi. Quomodo Philosophia negat unum esse tria, & contra tria esse unum? quâ ratione defendit: genitum posterius esse gignente: ex nihilo nihil fieri, nihilque in nihilum desinere: virginem non parere: finitum non esse capax infiniti, & quæ sunt ejus generis alia? num simpliciter, & omni modô? absit, sic suos transiliret cancellos, quod vera Philosophia non facit; sed in tantum hæc omnia esse vel non esse dicit, in quantum ratio dijudicare potest, & res naturali modô est, vel non est. Ulterius quippe, quàm ratio permittit, Philosophia progredi non valet, perinde, ac Theologiæ concessum non est, ut extra revelationem, & quæ ex hac ritè fluunt, quicquam determinare in spiritualibus queat. Hæc verò Philosophiæ asserta num dicam scribunt Theologiæ? ubi nam hæc ipsa ex suo demonstrat principio, vel levi saltem brachio indigitat, Trinitatem Personarum in una numero essentia ex rationis cognosci posse principiis? ubi innuit generationem Filii Dei ex essentia Patris naturali modo esse factam? ubi asserit: omnia naturaliter ex nihilo esse producta? ubi docet, virginem naturaliter peperisse, unionem hypostaticam in Christo divinæ infinitæ naturæ cum humanâ finitâ, & quæ hanc secuta sunt, naturali & communi modo sese habere? resurrectionem corporum per naturæ vires futuram esse, aut esse posse? ubi deniq; mundum per motum & generationem naturalem cœpisse, & naturaliter etiam periturum esse? Quin potius hæc omnia, & similia nobis ut summa proponit mysteria, simplici fide acceptanda, & hic rationem sub obsequium Christi captivam ducere, atque λογισμὸς, ratio-

tio-

tiocinationes omnemque altitudinem, extollentem se adversus scientiam Dei evertere jubet, II. Cor. X. v. 5. Ex his dilucidè satis apparet, Philosophiam sobriam in suo sese continentem hemisphærio nullum impugnare articulum fidei, sed quâ talem, & sibi relictam, nec affirmare, nec negare, fidei articulum in solidum sese abstinendo, suumq; judicium suspendendo. Simul quoque hinc illucescit, mysteria, & ea, quæ concernunt fidem Christianam, non esse contra rationem, sed supra eandem, quia non in objecto suo proprio, i. e. rebus naturali cognitioni obnoxiiis, rationi atque Philosophiæ ea sunt absorta, sed in objecto quodam peregrino, rebusque supernaturalibus, omnem naturæ atque rationis vim nimium quantum transcendentibus. Et ecce! hæc illa Philosophiæ ac Theologiæ sunt pronunciata, quæ rectâ fronte & utrôque brachiô impetuosè cum invicem concurrere videbantur. Hæc inter pace atque concordiam conciliatâ, quæ reliqua attinet Philosophica atque Theologica, jam sibi magis confinia, eorum omnium amicam concordiam, ac dulcem concentum, jam in vado esse persuasi sumus.

§. VII. Sed nondum omnem, quæ hic Philosophiæ ac Theologiæ Cultoribus mirè se commendat concordiam, quantum satis est, nobis expedivisse videmur; ulterius promoventes gradum sanè animadvertimus, Philosophiam in genuino suo spectatam usu, sororias plane atque auxiliatrices Theologiæ præbere manus, sicuti vicissim Philosophiæ Theologiæ. Insignis prorsus Philosophiæ in Theologiâ existit usus, quem non modò non aspernatur Theologia, sed permagni quoque æstimat & cupidè in rem suam convertit. Quando namque disputat Theologus, velificatur ipsi Dialectica; quando scientificè atque methodicè sua tradit alteri, lucem ipsi foeneratur Analytica; quando persuadere satagit frigidam suffundit Rhetorica & ita per reliquas Philosophiæ

phiæ

9

phia species excurri potest. Johannes Gerhardus T. 1. §. 166. & seqq. triplicem Philosophiæ in Theologia usum commendat atque determinat. (1) ὀργανικὸν in quantum Philosophia imbutum quempiam esse oportet, qui Theologiam accedit. (2.) κατὰσκοδασικὸν, quatenus cognitio Dei naturalis imperfecta, pædagogia esse debet ad cognitionem supernaturalem & perfectam, & tandem (3) ἀνασκοδασικὸν sive ἐλεγχτικὸν, qui adversariis confutandis inserviat. Balthasar Meisnerus in sua sobria Philosophia quæst. generali de usu Philosophiæ in Theologia, quintuplicem eum esse statuit, eundemque persequitur (1) Philosophiam futuro Theologo ad exacuendum suis exercitationibus ingenium, proficuum esse dicit, ut postmodum de vero & falso accuratius judicare queat (2) ad terminorum nonnullorum explicationem (3) ad quæstionum perceptionem & secundariam confirmationem (4) ad expeditam adversariorum refutationem (5) ad accuratam Scripturæ interpretationem. Vide etiam Baronii Philosophiam Theologiæ ancillantem. In specie de usu organi Aristotelici in Theologia consule Johann. Neldelii Institutionem de usu Organi Aristotelici in disciplinis omnibus part. sexta & ultimâ. De usu principiorum rationis & Philosophiæ in controversiis Theologicis vide Musæum. Usum cum abusu Metaphysices sistit Metaphysica Theologica Johann. Hein. Posewitz. De usu quem Theologia præstat Philosophiæ adhuc postmodum erit dicendi locus.

§. VIII. Quin penitus rem pensaturis diffitendum non est, necessariam planè hanc esse & esse debere concordiam. Quippe ut in rebus merè naturalibus Philosophiam insolidum præsupponit Theologia, nec quicquam & in talibus præscribit: ita Philosophia sine hac felix esse, non potest, nec sibi ipsi existit sufficiens. Philosophiæ co-

B

gni-

gnitionem, sive ex ore Philosophorum, sive ex Systematibus Philosophicis, sive aliunde haustam, necessariam esse Theologo, Theologi non eunt inficias. Methodus disputandi, persuadendi, docendi, atque demonstrandi in Sacro Codice non traditur; sed ex lumine naturæ & Philosophiæ, præsupponitur, illa nempe ex Dialectica, ista ex Rhetorica, hæc ex Analytica. Hæc namque in ritè stabilendis fidei dogmatibus, ista in homiliis dextrè ad populum habendis, illa in congressu cum adversariis, qui refutandi, bonus Theologus omninò indiget. Materiam Theologus ex Scriptura, formam ex Philosophia hinc accersere tenetur. Tropos atque figuras, passim in Scriptura Sacra occurrentes, mediante Rhetoricâ demum explicat Theologus. Virtutes ubique inculcat Scriptura: verum, quæ definitiones, objecta &c. earum attinent, illa traduntur in Ethicis. Sensum quæstionis in Theologia controversæ, num Regimen Ecclesiæ debeat esse Monarchicum, Aristocraticum, Democraticum, aut ex hisce mixtum, ex Politica discit Theologus. Quot res Physicæ, etiam Theologum, quæ talem attinentes, sunt in Scriptura; & tamen non explicantur in Scriptura? Ex Physicis itaque ista nubes similitudinum à rebus naturalibus desumpta in Theologia est explananda: Ex Physicis demum verum miraculum à fictitio discerni potest. Quò enim pacto intelligas rem esse supra naturam, si non perspectam habeas naturam atque vires naturæ? Ex Metaphysicis Theologus universaliores terminos cognitos habeat oportet, & scire debet, quid vocabula substantiæ, accidentis, actûs, potentiæ, causæ, effectus, necessarii, contingentis, totius, partium, positivi, privati &c. significant, quæ omnia in Theologia occurrunt, & in sensu aliàs recepto etiam hinc sunt accipienda. Sæpenumero una præmissarum in Syllogismo Theologico est merè luminis naturæ, quæ etiam inde
non

non nisi ex ratione atque Philosophia intelligi atque probari potest. De usu, quem vocat Gerhardus Organicum, quo Grammaticam vocum proprietatem, dialecticam ordinis observationem, Rhetoricam figurarum expositionem, & Physicam rerum naturalium cognitionem, ex disciplinis Philosophicis haustam, ratio nostra secum afferat ad eruendum divinæ sapientiæ thesaurum, in Scripturis reconditum, addit: *Usum hunc commendamus quàm maximè, imò verò necessarium esse dicimus v. cit. L. & §. 166. supra laudatus Meisnerus c. L. Est Philosophia instar Palladij, quo amisso, Trojani Græcorum exercitus non tam feliciter abigere, & in fugam vertere potuerunt. Et post pauca: Si tu nesciveris, quæ vera, quæ ficta sint Philosophiæ axiomata, & quâ ratione applicanda, quomodo, quæso, ipsos prosternes, & victoriam reportabis, si modo argumenta eorum non prorsus contemnere, sed assumere, & ad ea respondere volueris?* Non igitur injuriâ scripsit clarissimus Philosophus, Jacobus Scheckius in Epist. dedicat. libri contra Antitrinitarios editi: *Verè hoc mihi dicturus videor: nisi accuratius homines incipiant philosophari, futurum, ut nullus sectarum, nullus errorum futurus sit finis, quandoquidem hac ignoratione accidat, ut neq; accipere legitime, neq; reddere rationes disputatores imperiti valeant.* H. I.

§. IX. De necessariâ concordia Theologiæ cum Philosophia audivimus, quidni major Philosophiam stimulet necessitas, ut cum Theologia colat amicitiam, & cum ea concors existat. Quid Philosophum, ut alia mittamus, de potissima sua Philosophiæ specie, Metaphysica, fateri necessum est? Imperfectionem longe maximam eorum optimus quisque dissimulare non potuit. Simonidem notum est à Tyranno Hierone, quid Deus esset interrogatum, de die in diem suum distulisse responsum, tandemque hisce se expedivisse: *Quo plus inquiri eo minus invenio.* Cic. L. I. de Natura

tura Deorum. Quid acutissimus noster Aristoteles? *Quem admodum, ait, vesperilionum oculi ad lumen diei se habent; ita & intellectus anime nostrae ad ea quae, natura manifestissima, omnium sunt.* 2. Metaph. c. 1. & L. 1. de partibus Animalium c. 5. De substantia illa honorabili ac divina exigua nobis existit contemplatio. Nam de illa, & de quibus cognoscere cupimus, pauca nota sunt secundum sensum H. I. Quid summus hic Athenarum Magister dicturus fuisset, si lumen revelationis novisset, aut secundum illud de cognitione Dei naturali iudicium ferre voluisset? Famigeratissimus Albertinae nostrae Professor Log. & Metaphys. Dominus Rabe/ egregie proposita demonstratione existentiae Dei Aristotelicæ, in Curs. Philosoph. p. 1347. sic de eadem iudicat: *Atque ita quidem, ex principiis naturalibus, & ratione sibi relicta cognitae existentiae Dei demonstratur; ex qua tamen universa demonstratione imperfectionem luminis naturæ perspicimus si cum lumine revelationis comparetur. Enim verò ratio sibi relicta propositiones hasce: motus est æternus, tempus est æternum, cælum est æternum, Deus ab æterno cælum movit pro principiis habet infallibiliter veris, eque iis immota demonstratione infert dari motorem primum, æternum atque immobilem, ipsum Deum; at ratio lumine revelationis sive verbo Dei collustrata, propositiones predictas omnes falsas esse cognoscit, indeque demonstrationem istam Dei, quam immotæ veritatis iudicat ratio, sibi relicta, pro nulla habet neque ullius æstimare potest, si cum lumine revelationis eam conferat. Quanquam propterea eam ita absolutè & in totum rejiciendam, aut lumini revelationis atque sacris literis opponendam neget, sed potius cum iis debitè conciliandam esse statuatur, quam conciliationem vide c. l. p. 1348. His accedit, quod omnium sanè est maximum, cognitionem Dei naturalem Philosophum beatum non reddere; & ad æternam, quam planè ignorat*

Phi-

Philosophus, salutem nihil prodesse. Hunc Philosophiæ defectum si non suppleat Theologia, si revelationis Divinæ, si necessitatis illorum, quæ hominibus ea sub salutis proponit dispendio, Philosophum non convincat Theologia, quid in universum omnis nostra est Philosophia? Ecce igitur stringentem ejus concordiam cum Theologia necessitatem.

§. X. Objicis: ea omnia, quæ jam allata sunt, non sufficiunt ad omnimodam Philosophiæ cum Theologia concordiam demonstrandam, quippe ad quam insuper requiratur, ut Philosophia etiam approbet atque rata habeat effata Theologica, quod tamen Philosophia non facit, quin mysteria ipsi sunt absurda, ut jam est concessum, & Paulus docet I. Cor. II, 14. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus, stultitia enim est illi.* Resp. (1.) Hoc ipso nihil eorum, quæ in disputatione hac asserta sunt, subruitur. In salvo namq; manet, quod Philosophia verè talis, intra suos conclusa cancellos, Theologiæ nullibi verè contradicat, quin potius eidem apprimè obstetricetur. (2.) Verum est, quod Philosophia, sibi relicta, asserta purè Theologica approbare non possit, quia hoc ipsum vires naturæ & rationis valde excedit: interea tamen edocta revelationem divinam ex Theologia, & approbat & approbare debet, quæ ibi traduntur, susq; deq; habitâ contradicente ratione, quæ de peregrino objecto, rebus supernaturalibus, ita judicare potest, ut de sonis, saporibus, qualitatibus, tactilibus oculus judicat, quæ omnia ejus objecta non existunt, hic sanè Philosophiæ est, ut filia, ut disciplinæ, ut ancillæ venerari Theologiam loquentem, ut Matrem, ut Magistram, ut Dominam. Quod ipsum Plato, Aristoteles, & quotquot saniores fuere Philosophi iterum non diffitentur. Plato in Phædro duos agnoscit cognoscendi modos, unum vocat *ἀπόδειξις*: alterum *divinitus ad nos descendentem veritatem*, quem *θεῖον λόγον* nominat, concludit ibidem, humanam sapientiam præ

præ

præ illâ, quæ ab Oraculis habetur, nibili faciendam esse
 Aristoteles λόγους καρτερώτερος rationes valentiores excipit.
 In Metaphys. illud Simonidis laudat: *De rebus divinis & præ-*
ter naturam soli Deo credendum esse. Imò Calvin. lib. 3. In-
 stit. c. 23. sect. 4. *Indignum est, ait, ad eam legem opera Dei*
redigere, ut simul ac eorum ratio nobis non constiterit, impro-
bare audeamus. Beza in Epigr. p. 249. *Quæ voce nobis pro-*
didit Deus suâ ratione sciri non queunt humanitus. Scaliger
 Exercit. 77. sect. 2. *Quæ supra, inquit, leges nature, ex na-*
turæ legibus non sunt judicanda. Et Exercit. 265. sect. 3. cul-
 pat istos Theologos, qui *Veterum decempeda immensos religi-*
onis nostræ agros metiri posse sibi persuaserunt. Quæ omnia
 hîc benedicuntur. Ad objectiones, quæ aliàs contra hanc
 nostram concordiam, vel ex Scriptura Sacra, vel ex Historia
 Eccles. vel ex ratione allata sunt, aut afferri possunt, respon-
 demus in genere: quod omnis illa lis atque discordia, quæ
 unquam hîc enata est, atque enasci potest, apparens saltem
 sit atque fuerit, deficiente unô vel alterô veræ contradic-
 tionis requitô: aut quod vera discordia ex corruptâ exorta sit
 Philosophia, vel ex corruptâ atque prostitutâ Theologiâ, qua-
 rum neutra nihil minus est, quàm Philosophia aut Theolo-
 gia, quod in conflictu ostendi posse, bono cum Deo, confidi-
 mus. Quamobrem facta atq; tecta Philosophiæ cum Theolo-
 gia manet concordia, ut adeò, qui Theologiæ sequitur castra,
 Philosophiæ non adversarius, sed amicissimus & studiosissimus
 sit oporteat, nisi Ecclesiæ & rebus Theologicis malè velit
 consultum ipse Theologus. Optimè Schegkîus L. 1. de De-
 monst. *Ego quidem sic judico, tunc demum fore quietas & be-*
atas Ecclesias, si Philosophi boni dent operam Theologiæ,
aut Theologi philosophentur piè, piè tamen & so-
briè, quod utiq; non erat omittendum.

TANTUM!